



T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
LIBRI.

EPITOME LIBRI XXXIX.

M. Aemilius consul, Liguribus subactis, viam a Placentia usque Ariminum perductam Flaminiae iunxit. Initia luxuria, introducta ab exercitu Asiatico, referuntur. Ligures, quicunque citra Apenninum erant, subacti sunt. Bacchanalia, sacrum Graecum, et quidem nocturnum, scelerum omnium seminarium, quum ad ingentis turbae coniurationem pervenisset, a consule investigatum, et multorum poena sublatum est. A censoribus L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, et belli et pacis artibus maximo, motus est senatu L. Quinctius Flamininus, T. Quintii frater, eo quod, quum Galliam provinciam consul obtinuerat, rogatus in convivio a Philippo Poeno, quem amabat, scorto nobili, Gallum quendam sua manu occiderat: sive, ut quidam tradidderunt, unum ex damnatis securi percusserat, rogatus a meretrice Placentina, cuius amore deperibat. Exstat in eum M. Catonis oratio. Scipio Literni decessit. Et, tanquam iungente fortuna circa idem tempus duo funera maximorum virorum, Hannibal, a Prusia Bithyniae rege, ad quem, victo Antiocho, confugerat, quum deretur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quin-

T. LIV. TOM. V.

A

ctium Flamininum miserant, veneno sibi mortem consivit. Philopoemen quoque, dux Achaeorum, vir maximus, a Messeniis interemptus veneno, quum ab iis bello captus esset. Coloniae Potentia, et Pisaurum, et Mutina, et Parma deductae sunt. Praeterea res adversus Celtiberos prospere gestas, et initia causasque belli Macedonici continet; cuius origo inde fluxit, quod Philippus aegre ferebat, regnum suum imminuit a Romanis, et quod cogeretur, a Thracibus aliisque locis praesidia deducere.

T. LIVII PATAVINI LIBER XXXIX.

Dum haec (si modo hoc anno acta sunt) Romae aguntur, consules ambo in Liguribus gerebant bellum. Is hostis velut natus ad continentiam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem disciplinam erat: nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat. Nam Asia, et amoenitate urbium, et copia terrestrium maritimorumque rerum, et molitiae hostium regiisque opibus, ditiores, quam fortiores, exercitus faciebat. Praecipue sub imperio Cn. Manlii solute ac negligenter habiti sunt. Itaque asperius paullo iter in Thracia, et exercitatio hostis magna clade eos castigavit. In Liguribus omnia erant, quae militem excitarent: loca montana et aspera, quae et ipsis capere labor erat, et ex praeoccupatis deiicere hostem: itinera ardua, angusta, infesta insidiis: hostis levis, et velox, et repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret: oppugnatio necessaria munitorum castellorum, laboriosa simul periculosa-